(9.)

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
REBUS OBSTETRICIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS BAINBRIDGE,

Jamaicensis,

COLL. REG. CHIRURG. LOND.

SOC. MED. REG. EDIN.

&c.

SOCIUS.

IV. NONAS AUGUSTAS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

.... solicitam timor anxius urget.

VIRG. *Æneid.* Lib. ix.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

PATRI SUO CARISSIMO,

THOMÆ BAINBRIDGE,

ARMIGERO,

HASCE PAGELLAS,

PIETATIS PERTENUE INDICIUM,

GRATO ANIMO,

SUMMAQUE REVERENTIA,

CONSECRAT

FILIUS.

GEORGIO COLE BAINBRIDGE,

ARMIGERO,

S. P. Q. D.

RICARDUS BAINBRIDGE.

Cui melius quam Tibi, Vir carissime, hocce consacrem Opusculum?

Quorsum, hac utar occasione potius quam ut tester, quantis vitæ virtutibus, quantaque morum comitate Te præditum esse noverim; quantamque in me, exercueris benevolentiam?

Tu, plurima in me beneficia, nullo meo merito, cumulasti, quorum, nunquam mihi, nisi ingrato, oblivisci licebit.

Huncce igitur Libellum accipias, neque, pro exiguo, animi gratissimi testimonio habere, eundem recuses.

Dabam EDINBURGI,
Die xiii. ante Kalend. Augusti,
A. S. MDCCCXXIV.

JOANNI ATKINSON,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND.

ET

MULTARUM SOCIETAT. MEDICINAM,

ALIASQUE ARTES EXCOLENTIUM,

SOCIO,

EORUM QUÆ IN MUSEO SOCIET. PHILOSOPH. LEEDESII

CONTINENTUR,

CURATORI;

VIRO, VIRTUTE, PUBLICA ÆQUE AC PRIVATA,

CONSPICUO;

HOC, QUALECUNQUE SIT, OPUSCULUM,

MAXIME DEVINCTUS,

D. D. D.

AUCTOR.

To James Woodforde Esq.re
Author of "the Catalogue
of Plants in the Neighbourhood
of Edinburgh"
for his Acceptance, with
the best wishes for his future
Professional as well as
Literary and Scientific Eminence,
from the Author
29 July
18[illegible]

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

REBUS OBSTETRICIS.

Auctore RICARDO BAINBRIDGE.

PROŒMIUM.

DOCET, testimonium non secus atque experientia, per quæ, via ad scientiam patet, naturam constare ex anima præditis, et ex iis, quæ animam, non habent.

Notamus, ea quæ non animam possident sensu carere, ex internis non crescere, et sine facultate procreandi, existere.

Animata, contra, tum Plantarum tum genera Animalium, vivere, sentire, et singula gignere posse, sibimet similia, manifeste percipimus.

Cuncta creata sive organis instructa sive organorum expertia, emortua sive viventia, sunt prona ad formas perpetue mutandas. Mutationes in inanimatis, quamvis minus evidentes, non idcirco minus sunt certæ, dum, in corporibus quibus organa tributa sunt, sive vita perstante, sive eadem extincta, eædem eo certiores forsan sunt, quod tantopere planiores. Ex hoc, ut opinor, creata, non penitus extingui aut ad nihilum redigi, ostenditur.

"Nullius exitium patitur Natura videri *."

Per hanc legem mutationum omnium, in regno fossili fit, ut consecutio perpetua montium super montes, rupium super rupes, pro singulis variationibus hujus orbis ex aqua constantis et terra, oriatur †. Neque in terra tantummodo, mutationes perpetuo peraguntur; nihil, in toto mundo quiescit; in cœlo omnia usque, vices subeunt, siderumque motiones tempestatum præbent diversitates.

---

* Lucret.

† Hutton, "Theory of the Earth."
Cuvier, "Theory of the Earth."

Hæ conjunctiones et connexiones naturæ rerum consentaneæ sunt—vicissitudinibus et instabilitati omnium viventium, si ita loqui fas sit.

Quæ vivunt, fossilibus dissimilia, eo quod novas efficiunt formas, ipsis superstitibus, etsi tandem perituris, prolem edendo similem sibimet, aut, in aliis verbis evolvendo ex suis corporibus, corpus novum animaque distincta præditum.

Non vero sub eadem lege, qua ea inanima, creavit natura animantes, et eas res quæ in terra, stirpibus aluntur.

Sed, quum hæc, mortalia et peritura, labentibus annis, senescunt et moriuntur, organis instruuntur, quibus prolem gignant ipsis similem, quæ simul ac est nacta maturitatem, novam vicissim progeniem pariat, aliam idoneo tempore edituram.

Sic miro fœtiferæ naturæ artificio, dum pereunt singulæ res omnes, quæ vivunt et vigent, tamen conservantur non genera modo, verum species quoque, quas unumquodque generum amplectitur. Opus, per quod, perpetuitatis causa, unaquæque animalium species, unaquæque earum rerum quæ terræ stirpibus inhærent, prolem pro-

pagat, et quo, uti præstabilius nihil, ita nihil utilius, Generatio nominatur; functio invicem concors in regno vegetabili atque animali.

Vegetabilia, secundum doctrinam LINNÆI, producunt similia similibus, ope partium propriarum masculinis et fœmininis, quæ in floribus inveniuntur.

Organum fœmininum rite afficitur pulvere per quem fœcunditas datur, et cui nomen Pollen impositum est.

Ea materia masculino organo gignitur, et fœminino superjecta est, adjuvantibus ventis, insectis, aliisque plurimis, prout organa locata fuerint in eodem flore aut in diversis floribus, vigentibus seu in eadem planta seu in plantis diversis.

Et, insuper, vegetabili cum regno animali commune est, ut partes disjunctæ, rebus faventibus, crescant juxta ac parentes: in illo, nempe Bulbi *, Insita †, et Surculi ‡; atque in hoc regno, Polyporum § portiones. Hinc magis perspicu-

---

* Exempli gratia.—In Liliaceis, et in † Pyris, et in ‡ Salicibus.

§ Hydra viridis et H. grisea, et cætera.

um est in duabus viventium classibus, vim conjunctam sexuum ad efficiendum tertium quid (ut verisimillimum est), non necessariam esse. Quædam species videntur, quasi ex pluribus conflari individuis, simul quidem viventibus, et communi vitæ vinculo conjunctis, quæ, tamen singula, si forte sejungantur, per se existere atque vigere possunt.

Sed in animalium serie, magna ex parte, potentia duorum sexuum opus est ad alterum tertium vivens efficiendum, sive horum officium agitur, extrinsecus, ut in piscibus et multis amphibiis, sive intrinsecus, ut muliere et variis quadrupedum aviumque generibus *.

Animata, igitur, sive Ovipara, sive Vivipara, sive Ovovivipara inveniuntur.

Generatio haberi potest pro nota signoque viventium et fonte similium similibus quibus immensus terrarum orbis splendet atque ornatur, et sine quibus, ut verbis Ovidii utar, tellus prope fuisset " rudis indigestaque moles."

---

* Buffon, " Histoire Naturelle."

Huic insigni processui impedimenta innumerabilia sæpius sese objiciunt, quæ prohibent ne in ipso initio fiat, moræque plurimæ quæ fallunt spem et perfectionem frustrantur, quando primus ad hanc rem gradus absolutus fuerit. Quot, vegetabilibus concurrentia auxilia necessaria sunt, ut efficiatur fertilitas; velut idonea anni tempestas, idonei venti, aptæ habitationes, cum multis aliis, et, jam incepto opere, quoties fructui crescenti nocetur, quinetiam exitium affertur?

Quamvis fortiter afficitur, tamen minus a cœli mutationibus apud animalia procreatio pendet, quod quanquam eorum membra et genitalia tenera sint, non tam facile tamen delenda quam eorum quæ a stirpibus aluntur. Nam dum illis quam his, periculum hostes minitantur pauciores, et illi casibus obstare valent, et comparare pro seipsis æque ac pro parvulis, res necessarias, hæ facultates in quibusdam viribus sese movendi ponuntur, sensu plus minusve perfecto regendis.

Nihilosecius, eorum hostes sunt cum multi tum potentes. Inter se mortiferum bellum gerunt, in quo de medio tollunt alii alios. Homo eos interimit; et procul dubio, vastatorum prin-

ceps, vocari debet. Ille pro usu speciali et necessario fovet multa animalia, quæ laborent, quæ cædantur, quæque animum ejus oblectent.

Bestiarum procreandi status, quam mulieris, est multo minus difficilis, et sapienter ita institutum est, quod, pleræque, ad nixum, majorem parvulorum numerum quam unum quotannis parturiunt, ut Lepus *; dum, multæ, ut Cuniculus † (animalium princeps in agro coloniam formare), ut Mus ‡, cum aliis non solum uno tempore, multos, sed insuper frequentissime in anno, pariunt. Adeo, si sequentes partus singulorum fœtuum essent æque difficiles atque antecedens, (nam, hunc laboriosorem, putamus), quam, dolores duri et angores, his animalibus forent; etiamsi, mulieribus præstant, cum pelvem habeant, cujus foramen eo spectat, quo, dorsi spina. Sic animadvertimus in regno vegetabili, plantam fœmininam pabulam apparare pro incremento ejus fructus, solamque onus ferre, ita, in animali, fœ-

* L. timidus. † L. cuniculus.—LINN.

‡ Mus musculus, decumanus, &c.—LINN.

mininam videmus, in singulis speciebus, curam præcipue impendere, ut sustineantur, nutriantur atque parvuli educentur. Ad mulierem igitur hæc munera pertinent.

Dum forma pelvis, in bestiis, partum faciliorem reddit (ut antea dictum), partus muliebris propter fabricam partium, de quibus agitur, nempe, propter trajectus, obliquitatem atque anfractus, aliasque difficultates vincendas, necessario debet esse operosior, tum etiam periculosior. Eo, alterius cura et diligentia videtur opus esse hac occasione periculosa. Ideo, quod natura postulat, ars in promptu habet, et libenter suppeditare sese accingit.

Eam partem artis medicinæ volumus Artem Obstetricam nominari, in qua, aliquis, fœminæ, in gravi hora partum edendi, opem ministrat. In pariendo, Mulier tanto in discrimine atque periculo versatur, ut, intra nullum terminum nostrum officium contineri debeat, si quando graviditatis aut ejus sequentium signa se indicaverint. Quapropter, pro salute sua, conceptu facto, fœmina cura medici egere potest, statim postea, non secus ac multo ante, et sæpissime longe post par-

turiendi tempus; et subindè, usque ad lactandi terminationem. Hæc est, linea, quæ artem obstetricam, ab cæteris disciplinæ medendi partibus discernit; si, illam, ab his, unquam disjungi, oporteat.

In animo est, igitur, nunc pauca proponere, primo, de Historia Artis Obstetricæ; tum de Muliere; de Organis Generationis in Fœmina; de Conceptu et Graviditate; de Signis quibus Graviditas distinguitur; de Abortu; de præcoce Partu; de justo Partu; de complicato Partu; de Ratione parturientes curandi; et, postremo, de tractandi Infantes ratione.

DE HISTORIA ARTIS OBSTETRICÆ.

Ars Obstetrica similis aliis medicinæ partibus, variis modis provecta est, ex eo tempore, quo, primam originem traxit, nempe ab ipso fere, nisi fallor, generis humani initio *

In HIPPOCRATIS scriptis multa præcepta tam

* Vide Sacras Literas ad Libr. Genes. caput iii. et alibi.

bona quam mala invenimus quæ ad fœminam parturientem attinent.

Scriptores de partu ex temporibus HIPPOCRATIS plurimi floruerunt. Hodierna tempora dant testimonium majoris pretii, in quo hæc ars jure habetur, excolentibus Doctoribus GULIELMO HUNTER, OSBORNE, CLARKE, HAMILTON, aliisque multis.

Olim mulierum videtur fuisse hanc artem exercere, cujus rei mentio fit in Sacris Literis, apud Judæos * et Ægyptios †; et in profanis auctoribus apud Græcos, Romanos, atque Arabes.

Nunc, tamen, inter mulieres et viros de imperio certatur. In septimo seculo, PAULUS ÆGINETA ex viris, primus, ut videtur, artem obstetricam professus est.

Me judicante, viri, ad hoc munere fungendum aptiores sunt; namque, sexui natura, infirmiori, in sævis parturiendi angoribus, quis, tam suaviter potest, consolando dolorem levare, quam is, qui, animo et corpore validior?

---

* Vide Lib. Genes. cap. xxxv. et alibi.

† Vide Lib. Exod. cap. i. et alibi.

DE MULIERE.

Ipsa venusta, in qua, hoc studium versatur, omni acie ingenii lustrata, communi philosophorum atque poëtarum consensu, formosissima ex creatis habetur, dum, magnificentia viro tribuitur. Vir, quidem in armorum periculis vitæque laboribus exercetur; sed, Mulieri, natura in parturiendo, assignavit majora fortasse pericula, grandioresque animi dolores.

Λέγουσι δ' ἡμᾶς, ὡς ἀκίνδυνον βίον
Ζῶμεν κατ' οἴκους, οἱ δὲ μάρνανται δορί.
Κακῶς φρονοῦντες, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
*Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ *.*

Ejus eximia pulchritudo ponitur in decore oris et concinnitate totius corporis, in mollitie et vividis animi facultatibus, atque loco, quem tenet, consortis in opera laboribusque, quos viri subituri sunt.

---

* EURIPIDES.

Corpus muliebre tam formosum, haud parum enervatur, principiis educationis; et mos seculi, illecebris et fascinationibus quas præbet, hanc conditionem vehementer adjuvat, redditque fœminam eo magis inhabilem, ad fungendum gravibus generationis institutionisque prolis muneribus.

Quamobrem, dolendum est, ut, partes partui subservientes multum periclitandæ sunt, deficienti exercitatione, pravisque corporis posituris.

Perniciosos, ideo, plures casus, iis, incidere Obstetrici inveniunt, quæ, partus laborem ferunt, ex his causis, si, cætera paria sint, quam male conformatis partibus. Multis et persuadetur, sine infirmantibus moribus hominum consociationis, parturiendi statum fere pauciores casus comitaturos esse.

Huic opinioni consentientes, peregrinatores memorant, fœminas, incolas Novæ Hollandiæ, Africæ, et Indiæ, citra multum periculi, prolem eniti; et certe rusticæ Britanniæ, non pronæ ad victus potusque intemperantiam, raro, in discrimine, versantur.

In memoria tenere debemus, obliquum pelvis

humanæ positum non posse non impedire, in diem, fœtus descensum, magis quam pelvis figuram in quadrupedibus, cujus exitus, ad dorsi spinam, parallelus est.

DE ORGANIS GENERATIONIS IN FŒMINA.

Decet proferre pauca, quæ spectant ad partes in generatione atque partu fœminino proxime implicatas. Hæc sunt, vulva, ovaria, tubi Fallopiani, et ligamenta lata, quæ hæc, interioribus partibus pelvis annectunt, cum canali vulvæ locis atque perinæo. His mammæ annumerandæ sunt.

Pelvis est pars ossea quæ fœtus transitui obstat, in parturiendi tempore: inter vertebras et femora posita. E multis portionibus constat. Ex duobus ossibus innominatis (quorum utrumque in ilium, ischium, et pubem dividitur), atque sacro. Axis ejus alius alia in parte est; hinc difficilis enixus fit. Ad partem superiorem, in muliere, ejus diametron longius ex ilio ad ilium et brevius ex pube ad sacrum, sed, in inferiori exi-

tu, modo contrario, diametron brevius ex ischio ad ischium et longius ex pube ad sacrum patet.

Os sacrum ubi junctum est spinæ dorsi, promontorium, ut vocatur, format, et id fœtus expulsioni specialiter et maxime adversatur dum huc illuc reflexum egreditur.

Vulva, est viscus, ex quo profluunt menstrua, atque post conceptum, fœtum et ejus appendices continet. Inter vesicam et rectum invenitur. Ejus figura est triangularis. In tres partes, videlicet fundum (aliis partibus latiorem, increscendo atque sese amplificando principem), cervicem atque os, dividitur. Ejus appendices, duo ligamenta rotunda sunt, quæ per canalem abdominalem ad pubem tendunt; et duo ligamenta lata, quæ sunt duplicationes peritonæi sive membranæ quæ omnia intestina atque viscera circumvestit. In his ligamentis, brevi intervallo ex vulva, posita sunt ovaria; duo corpora ovalia, continentia ova; in quibus, his submotis, oriuntur corpora lutea.

Ab vulvæ superiori parte, tubi Fallopiani exiguntur, et in ampullam cum fimbriis plurimis desinunt. In canalem vulvæ, ejus os descendit, qui locis ac perinæo terminatur.

DE CONCEPTU ET GRAVIDITATE.

Proximum est, ut de conceptu et graviditate dicam, quibus secundum illam naturæ legem homines nascuntur atque numero augentur.

> *Και ευλόγησεν αυτους ὁ Θεος, λεγων αυξανεσθε, ϗ πληθυνεσθε· και πληρωσατε την γην *.*

Fieri non potest, quin fœtus ex primordiis crescat, quæ uterque parens suppeditet.

Alii † contendunt rudimenta a quibus fœtus

---

* Γενεσις, Κεφ. α. 28.

† Josephus de Aromatariis. Good's Lucret. Annot. vers. 1264. lib. iv.

Steno. In De Graaf, De Mulierum Organis.

Graafius. De Mulierum Organis.

Swammerdamus. In Tomo Secundo, ad paginam 792, Bibliæ Naturæ. " Hominis ipsius cum insectis et rana comparatio," &c.

Harveius. De Conceptione.

Malpighius. De Formatione Pulli in Ovo.

Spallanzanius. Dissertations relative to the Natural History

oriatur, fœmina præberi; alii *, contra, eadem mare afferri; et sunt, qui † verisimilius esse pu-

---

History of Animals and Vegetables, translated from the Italian. 2 vols 8vo.

HALLER. Sur la Formation du Cœur dans le Poulet. 2 vols. 12mo. Section xiii. du Second Mémoir, p. 188.

BONNET. Sur les Corps Organisés.

* ARISTOTELES. De Generatione Animalium, lib. i. cap. xix. xx. et sequentibus.

GALENUS. In Operum Epitome, De Semine, lib. i.

LEEUENHOECIUS. In Operum ejus, tom. ii. "De Ovario, et imaginariis ejus ovis; homo ex animalculis oritur," &c.

HARTZOCHERUS. Recueil de Plusieurs Piéces de Physique, page 191.

BOERHAAVIUS, Impetum Faciens, cap. secund.

POLIGNACIUS. GOOD's Lucretius, Annotation, ver. 1287.

LIEUTAUDIUS. Elementa Physiologiæ, De Conceptu, ad pag. 223.

† HIPPOCRATES. De Genitura.

LUCRETIUS. In Lin. 1222, Lib. iv. et in aliis locis; et MASON GOOD's Translation.

BUFFON. Natural History translated, vol. ii.

MAUPERTUIS. Œuvres, tom. ii. Venus Physique, chap. xiii.

NEEDHAMUS

tant, utrumque primordia quædam conferre, ad novum gignendum animal.

Ille vero medicus, HARVEIUS clarus, ante alios naturæ rerum studiosos, uteris post coitum exploratis in diversis fœminarum generibus, nulloque in his invento semine, eorumque conglutinatis simul ostiis quicquam omnino eos masculini seminis intrare negavit *.

Inductus insuper est, ut hoc concluderet, quod Gallinæ diu post quam sint Gallis viduatæ, fœcunda tamen ova pariunt. HARVEIUS dicit " nos autem asserimus (ut ex dicendis constabit), omnia

---

NEEDHAMUS. Account of some New Microscopical Discoveries. Phil. Trans. vol. 45. p. 615.

DARWINIUS. On Generation, in Zoonomia.

HUNTERUS. On the Animal Economy, &c.

BLUMENBACHIUS. Physiology, translated by Elliotson. On Generation.

HAIGHTONIUS. Phil. Trans. 1797, p. 159.

* MALPIGHIUS, FALLOPIUS, et HALLERUS, et HAIGHTONIUS, fere eadem observarunt.

HUNTERUS contra tam in utero quam in Fallopii tubis semen post coitum percepit. Vide SAUMAREZ, New System of Physiology, vol. i. p. 429.

omnino animalia, etiam vivipara, atque hominem adeo ipsum, ex ovo progigni *."

HARVEIO, opinio erat, semen masculinum, quasi contagione conceptum præstare, eodem modo, "quo ferrum a magnete tactum hujus statim vi dotatur, aliaque ferramenta ad se allicit †."

Hoc contagium, ut HARVEIUS conjectura proponit, non modo uterum sed totum fœminæ corpus fœcundare potest. Veruntamen vulva sola fœtus primordia formata comprehendit, ut cerebrum solum ideas notionesque concipit atque effingit; namque uti notiones, in animo comprehensæ sunt (secundum metaphysicos), quasi simulacra rerum, quas sensus menti nunciant et interpretantur, ita fœtus, utero conceptus, est quasi parentum imago!

ARISTOTELES ‡, vir in omni scientia eximie eruditus, judicavit, fœminam profundere menses, et præterea nihil præbere quod ad germinationem conferat. Semen masculinum, menstruo sangui-

* Exercitat. prima. De Generatione Animalium.

† Vide HARVEII Exercitat. Anatom. De Concept.

‡ Vide ARISTOTEL. De Animalibus.

ni, quasi animam, vi astrorum subsimilem, impertire, quæ vivum faciat, et in motus animales excitet. Secundum hunc philosophum, fœtificus maris humor est, id, quod genitrices motus incipere facit; et, ut rudi marmori formam humani corporis dat sculptor, ita, is menstruo sanguini.

Harum opinionum, ultima, HIPPOCRATI * placuit, ille, enim, existimabat, ex commistis in utero maris et fœminæ seminibus conceptum fieri, et prout masculinum semen abundaverit fœmininumve, fœtus in patris matrisve similitudinem effingi.

Eam patris medicinæ opinionem, quæ quidem haud minus similis veri est quam nonnullæ, quæ hodie celebratæ, omnes fere medici, tam veteres quam recentiores, acceperunt.

Quanquam eæ, sint doctorum opiniones, non pro stabilitis, habendæ sunt, ideoque prudentiæ est, ignorantiam nostram de secretis occultisque rebus naturæ profiteri; quæ quamvis non animo intelligenda sunt, multi tamen vi imaginandi, de

---

* Vide HIPPOCRAT. De Genitura.

iis ausi sunt conjecturam facere. Et conceptus igitur in istorum forsan arcanorum numero recenseri debet, quæ mens humana, licet res vel reconditissimas investigare audax, et stultitia ipsum aliquando cœlum petens, nunquam indagare, nunquam intelligere poterit.—Sed ut ad rem redeam.

Post conceptum, medici credunt, sequentia postulari ut graviditas oriatur: ex ovario evadit ovum (videlicet embryon), et hoc, avide patentibus tubi Fallopiani partibus extremis, *fimbriis* vocatis, excipitur, per cujus canalem descendit cum membranis amnio et chorio, "quæ velamenta infantis intus fuerunt," pervenitque ad vulvam.

Uterus, per facultatem idoneam consentaneamque, membranam deciduam præparat, in quam ovum impellitur, ibi adhæret atque accrescit.

Ea membrana vulvæ interiori affigitur, et cum utero crescenti, crescit. In amnio, continetur Liquor Amnii, quo fœtus circumdatur, et ubi degit vitam, vitæ piscis amphibiive haud absimilem. In hoc liquore jacet fœtus, modo optimo, maximeque idoneo, per vulvam collocatus, ut luculenter animadvertit Harveius.

"Certe animalia omnia, dum quiescunt et dormiunt membra sua ut plurimum adducunt et complicant; figuramque ovalem aut conglobatam quærunt, ita pariter embryones, qui ætatem suam maxime somno transigunt, membra sua positione ea, qua plasmantur (tanquam naturalissima, ac maxime indolenti quietique aptissima) componunt. Itaque infans in utero ut plurimum reperitur, adductis ad abdomen genibus, flexis retrorsum auribus, pedibus decussatis, manibusque sursum ad caput sublatis, quarum alteram circa tempora vel auriculas, alteram ad genam detinet, ubi maculæ albæ, tanquam confricationis vestigia, in cute cernuntur, spina in orbem flectitur, caput ad genua incurvato collo propendet. Tali membrorum situ, qualem in somno per quietem quærimus, capite superne, facieque ut plurimum ad matris spinam versa, embryo locatur."

Fœtus ita positus, uti sensibus propriis videtur, et motibus inde ortis, nunc pavore nunc voluptate matrem afficit, et est, cur credamus eum, quoque gaudii, luctusve matris, participem fieri.

DE SIGNIS QUIBUS GRAVIDITAS DISTINGUITUR.

Menstruorum cessatio, abdomen tumidum, mammarum tumefactio doloresque, utraque increscenti areola, nausea matutina, cum majori aut minori lassitudine, sunt signa graviditatis propria.

Nonnulli graviditatem inter morbos recensuerunt, ut SAGARUS et SAUVAGESIUS. Hic auctor * sic eam descripsit.

" Verus est morbus isque apud mulieres pœnalis (docet Genesis) cujus signum est abdominis intumescentia in axi hypogastrii prominens, sensim ascendens, partuque terminanda."

Nonnunquam graviditas sine indagatione diligenti non facile est dijudicanda, ab ascite abdominali aut saccato ; ab hydatidibus ; ab mola in utero ; ab utero propter retenta menstrua aucto, et quibusdam aliis morbis.

Graviditas in muliere, quadraginta hebdoma-

* Vide SAUVAGESII Nosologiam.

darum spatium perstat. Fœtu ad maturitatem progrediente, abdomen (ut antea dictum) tumidum fit, et gradatim ampliata vulva, magnitudine crescit. Hoc viscus quum jam certum accepit incrementum, surgit e pelve, nempe, circiter quinto mense. Ad id temporis, mulier eo clarius infantis pondus impulsumque, sentit, et hoc "Anglice" nominatur "the time of quickening."

Attamen, ante hoc tempus æque ac postea fœtus pro viventi corpore habendus est. Motus ejus non percipiebantur, utero in pelve manente, quod sensu acuto vulva non prædita est, et ea usquequaque contenta per ossa, impulsus infantis animum fugiunt; sed simul ac uterus in ventrem e pelve surrexerit, circumdatur tenerioribus partibus, quæ facile ejus motibus afficiuntur. Quum, jam vulva in ventrem pervenisset, erecto præsertim corpore, defectio animi sæpe fit, propterea quod pressura consueta a vasis iliacis submota, sanguis ex aorta et superioribus partibus in eas irrumpit.

Pergit adaugeri vulva, hac ratione (secundum opinionem Obstetricorum); sexto mense ad umbilicum ascendit; septimo, partes inter umbi-

licum et scrobiculum cordis pertingit, neque altius surgit; septo transverso adversante. Perspicuum est, usque ad hebdomadam aut ad dies quatuordecim ante partum, ibi morari dein, ejus cervice relaxato, et recipiente membranas et infantis caput; hoc, descendit ita ut os uteri tangat. Canalis simul dilatatur, ut vulva in eam recipi possit.

In graviditate, haud dubitandum est, multas mulieres magnopere lacessi, et tum animo tum corpore plurimum pati. In aliis, contra, donec graviditas ad finem vergat nulla incommoda magni momenti indicantur; et in nonnullis fœminis, hæc conditio, vix valetudinem corporis afficit, aut animum deprimit.

In plerisque exemplis, uterum gerentes, variæ molestiæ premunt, ut dolor capitis, ventriculi acor, vomitus, tussis, cum ingenti malorum cohorte. Dolores gignuntur pressura super partes adjunctas, inducta per vulvæ et ejus appendicum incrementum, ex quo præterea dislocationes quorundam viscerum, fere omnium compressiones oriuntur.

Per hanc causam ultimam præcipue fit obsti-

patio, quæ, graviditatem comitatur, et etiam Diarrhœa quæ periculosior quidem obstipatione est; sed haud multum ab eadem differt, stercore indurato atque retento etsi liquida dejiciuntur.

DE ABORTU.

Signa molesta quæ jam memorata sunt pro causa abortus sæpissime existunt.

Tormina non solum immodice et magnopere vexant, sed præter hæc, facilem abortum reddunt. Commode dixit HIPPOCRATES * : "Mulieri in utero gerenti si alvus multum fluxerit, periculum ne abortiat."

Contra hunc morbum nimis frequentem diligenter vigilare debemus, ad præcavendum ne accedat ac si sese unquam demonstraverit, ne longius progrediatur.

Abortus est præcipua terroris causa in animo fœminæ, quod si evenisset omnis cara et solicita

* HIPPOCRAT. Lib. v. Aph. 34. vol. ii.

spes, matrem se vocandi, deleta est, et metuit ne sua salus in periculo ponatur.

Abortus non generi humano est proprius; nihilominus, illud magis obnoxium est ei quam cætera animalia, quod vitam degit minus temperatam. Ideo animalia cicuria abortum videmus frequentius quam fera facere.

Abortus ante mensem quintum accidere dicitur. In humano genere plures abortus inter octavam et duodecimam hebdomadam inveniuntur, et forsan ad decimam sæpius incidunt.

Remedia, abortu minitante sint ea quæ humores in toto corpore aut in partibus imminuant, cum plenus corporis habitus sese ostendit; et ea, quæ naturam languidam corroborent, quoties infirmitas videtur, proclivitatem ad abortum dare. Si alvi profluvium adsit, cohibendum est. Si quando abortus non effugi potest, ad manum confugere medicum decet. Ovum et ejus appendices (integra si fieri potest) e vulva abstrahenda sunt, et sanguinis effusio reprimi debet, et omni modo prohiberi ne redeat. Salus parturientis prorsus confirmanda.

DE PRÆCOCE PARTU.

Eo modo, quo, jam dictum est, partus ante justum tempus incipiens, curandus est; nam, nihil aliud est, quam abortus in graviditate provectiori, nempe post mensem sextum.

Quandoque etiamsi, ut in rachitide et in parentis quibusdam aliis morbis necesse est ut per artem partus efficiatur; si mater incolumis sit, post mensem septimum ut infans vivat, si periculi metus, ante id tempus faciendum est per instrumentum quod Anglice vocatur "Catheter," in os vulvæ usque ad membranas introductum. Hæ, perforatæ sunt ut effundatur liquor amnii. Exinde, uterus depellet ea quæ continet aut sponte aut ope manus obstetrici, qui (si postulat res) pedes infantis prehendere et per os uteri detrahere debet. Capiti interdum accommodatur forceps et fœtus vivus educitur, alias si res non sinant exanimis effertur.

Febres aut alii morbi acuti generis maligni in graviditate raro infestant; sed cum invadant,

fœminæ idoneis succurrere oportet remediis. Sed febris simplex, manuum rubore et faciei insignita, vulgaris est, et plerumque facile sananda sanguinis detractione et medicamentis alvum solicitantibus.

DE JUSTO PARTU.

Quadraginta graviditatis hebdomadis elapsis, tum, quidem ejus ultima conditio adest, et mutationibus multis signisque notatu dignis in mente mulieris atque in corpore indicatur. Illa, jam, se solicitam ostendit de salute infantis futura, præparando vestimenta, cæteraque; quibus, ad ejus solatium opus est. In bestiis, etiam videre licet, gravidas eximie instinctu doctas, nunquam non ea præparata habere quæ parvulis suis necessaria sint.

Animus fœminæ magis anxius fit, multum secum cogitat, parum tranquilla movetur et morosa angitur. Animo difficilis est atque proterva. Abdomen quod prius fuerat inflatum tensumque, nunc mutatur, relaxatur atque dependet. Ma-

cies magnopere manifestatur, oculi subsidunt, vi absorbendi adipis, per totum corpus aucta. Est pallor cutis, lineamenta sunt acuta. Gressu motibusque vacillat, hæsitat, languescit et mutabilis est. Nunc vesica et rectum simul afficiuntur et ex pressura irritantur. Contractio eorum frequens et valida consequitur, et iterantur contractiones quamdiu in alterutroque minima quidem particula relinquatur. Haud raro fit, ut distentio nervorum crura et cætera membra corripiat.

Hæc mala adeo gravidam vexant et robora imminuant, (quæ nonnunquam reficiuntur brevibus levibusque somnis), ut, sibi persuadeatur, parturiendi horam multo magis, in propinquo esse, quam revera sit. Canalis vulvæ in his simul participat. Magna muci effunditur copia ; contracta antea nunc dilatatur, ad os cervicemque vulvæ recipiendum, descensumque fœtus, expediendum. In aperto est, partum advenire quoties defluxerit mucus viscidus, quod os uteri conglutinatum erat. Hæc puerperii prænuncia, decet medicum, bene intelligere atque memoria tenere. Jamque ad indicia parturiendi declaranda progredior ; nam ut ait HARVEIUS,

"Generationi partus est consentaneus, quo fœtus in lucem prodiens externo aëre fruitur."

Partus justus, hoc modo describi potest. Propulsio in diem, liquoris amnii fœtus et membranarum, vi contractili vulvæ, doloribus profluvioque humoris, plus minusve comitantibus.

Quandocunque dolor adest, novem mensibus jam (ut antea dictum) peractis, judicandum est, instare nixum. Obstetricus nunc operam instituit ut cognoscat quomodo progrediatur, an os vulvæ amplificari inceperit, qui positus infantis sit? Quod vulgo "Examinatio per Vaginam" vocatur. Hoc solum experientia docet.

Singuli dolores sequentibus intenduntur, alii aliis premuntur, et nunc, in ore vulvæ membranæ plenæ, et liquore amnii distentæ tactu, manifestæ fiunt. Caput infantis ad os vulvæ descendit, et id aperit. Membranis descendentibus in canalem, vi a tergo ruptis, liquor amnii effunditur, superficiem humectans per quam decurrit postquam ad cervicem uteri ampliandum adjuvit. Hoc temporis discrimine in procinctu stat medicus, qui curet ne lodices et linteola jamjam madefactæ, parturienti damnum afferant. Sedulo

explorat os vulvæ, ad partus progressum animum intendit, et sustinendo perinæum, defendit, quando necesse sit. Partus procedit. Jam ecce fœmina ipsa cubans in latus, genua sua flexa ad abdomen habens et pulvino interposito disjuncta, nitensque pedibus adversus lecti columnam aut parietem vicinum, manibus constringens, contractione ferrea, mantile aut aliud sustentaculum; pectus, inflatum profundis inspirationibus, unumquemque corporis musculum sese moventem; nunc in silentia laborat, nunc ingemit iterum iterumque, usque dum, vi, pene ultra humana, uno potentique nixu, parturit; tum mirabile dictu, sæpenumero, in somnum cadit gratissimum, etsi nimis cito, experrectura.

Inter hæc, tam periculosa tempora, obstetricus adminiculum perinæo reddendo et adjuvando quoties opus sit, dubitat et in animo multa revolvit.

Blando sermone fœminam delinire conatur. Jam expulsione facta, duobus locis, exiguo interposito spatio, funem umbilicalem deligat, et inter nodos eum persecat, et ministræ infantem tradit.

Dum hæc fiunt, prope non conscia, pro guadio

immodico, ut erepta e dolore, procumbit mater, priori positu relaxato, viribusque jam refectis.

Vix horæ pars tertia præteriit, priusquam signum datur, cuncta non perfici.

Labores iterum aggrediuntur, interdum æque difficiles ac priores, aut etiam difficiliores. Vulva, ex sese, contrahendo, secundas et plus minusve sanguinis sæpe concreti projecit.

His amotis, fœmina componitur et diligenter abstergitur. Abdomine fascia cincto, et finitur puerperium, "tum compressis in unum feminibus illa conclavi collocanda est, modicum calorem, sine ullo perflatu, habente *."

Vulva usque postea contrahitur per quinque decemve dies. Hæ contractiones aliquando majorem quam partus, facessunt molestiam. Humorum detractio nominata Lochia sequitur. Contractiones et quiescunt, et lochia mox supprimuntur, et omnia in corpore tandem, ad conditionem solitam redeunt.

"Reliqua curatio talis esse debet, qualis in in-

---

* Cels. Lib. vii.

inflammationibus, et in iis vulneribus, quæ in nervosis locis sunt, adhibetur*."

Tum mater bene se habet, et illico accingitur, mammas suo infanti præbere.

DE COMPLICATO PARTU.

Si quando, gemini pluresve in utero sint, aut infans ratione insolita descendat, res haud aliter sese habent; nixu aut per naturam aut per artem tandem effecto, alter infans post alterum citius diutiusque in lucem editur. Sanguinis profluvium et mors in partu complicato, frequentius quam in simplici, afferuntur.

Partus præterea non est in exemplis omnibus, æque facilis, ac antea descriptus. Namque sæpissime tot pericula eum comitantur ut mortem matri aut infanti aut utrique simul intentent. Ista originem habent, ex rebus, quæ ad matrem vel fœtum vel ad utrumque, spectant.

Cum hæc ita sint, si possit, obstetricus oportet

---

* Cels.

ut curiose provideat, ut consulto et cogitato, res singulas, quæ incidant, penderet, necnon ut celeriter faciat quod necesse sit. Deliberatio cauta nunquam in animo deficere debet. Haud alienum erit partus complicati exemplum proponere, in miseriarum multitudine humanarum, qui nimium est frequens.

Respice mulierem igitur, quæ, pelvem habet minimam, in qua caput infantis est grandius, quam ut transire possit nisi mole imminutum, et par pari factum, iis modis, quos, ars obstetrica suggerit. Et illa diu conata est eniti. Sudore perfunditur, et laboribus opprimitur. Corpus adeo quatitur ut musculorum motus regi nequeant. Operam, frustra emolitur, nam, caput infantis in pelve infixum est.

Obstetricus, perturbatus dum, parturientis pericula, secum reputat. Partu jam diutius procrastinato, nunc, animum colligit ut mulieri consilium impertiat, opem ferendi per artem. Cui illa misera consentit. Nonvult ad artem confugere, sed, quoniam oportet; necessitati paret. Cunctis quæ necessaria sunt, paratis, muliere parturiente auxiliari, sese accingit.

Obstetricus id agit ut, levi motu in spatium, inter caput infantis et uterum, pelvemque matris primo alterum dein alterum forcipis ramum introducat. Conatus conatum excipit, nequicquam tamen ; neque opera longa moram superat.

Inter hæc agendum singula tentamina, cruciatum, luctum vagitusque miseræ movent, et sudoris profusio cutem madefacit. Obstetricus non scit in his angustiis quid cogitet, neque patet an ex nimia cautione, an ex eo, quod fieri nequeat, conatus sui parum profuerint. Cunctis utitur modis, spem frustrantur. Quoniam spes vitam infantis servandi fallitur, nunc, videns se omnia sine profectu tentasse, statuit, certo exitio, objicere infantis vitam, ut vitam matris incolumem præstet.

Armatus, telo ferreo cui nomen Perforator et forceps datur, cujus ictus est mortiferus, pedetentim obstetricus in locos usque ad bregma aut ad infantis suturam capitis introducit, et certus, impulsu parum fallaci, ad ipsum cerebrum penetrat, et simul atque introit telum protinus effugit vita.

Nunc mortis incipit opus. Prout forcipis ma-

nubria segregantur, ita laminæ; et, foramen in capite dilatatum est. Forcipi subit alterum instrumentum cochleariforme, quo, excavatur cerebrum. Caput eo modo diminutum, quamvis ejus latera mutuo appropinquari possint, contractiones uterinæ non propellere valent. Jam basis cranii ut antea fixa, inter promontorium ossis sacri et pubis, expulsioni repugnat. Ad submovendum hoc impedimentum, obstetricus, faucibus forcipis corripit, et discerpit, cranium cruentum, et frustatim eripit.

Tum in basin cranii uncum infigit, (et interea potionem dat cardiacam ut mulierem reficiat, et si possit, ipsa urinam reddit; aut, per artem, ea, exhauritur), explorat an rite firmiterque adhæreat. Rapit, iteratque nisum. Conamen conamini succedit sed frustratur, donec, sæpe cum magno recti et canalis vulvæ periculo, obstetricus per inceptum efficax basin cranii movet. Quo facto, formido et gaudium simul animum afficiunt, nam, pavet ne "uncus*" lapsus fuerit et in discessu e canali injuriam intulerit; et se supera-

* Lege Cels. Lib vii.–xxix.

visse impedimenta gaudet, quæ partui obviam ibant.

Per examinationem fit certior, caput laceratum motum fuisse. Tum revocat animos iteratque laborem, et deorsum caput infantis in canalem detruditur. Uncum jam inutilem abjicit, et nunc manu comprehendens, fœtus inanimati collum, cerebroque privati, et vi, superans moram proximam, thorace et humeris factam, ab utero evellit.

Fontes uterini interim aperti sunt, et parturiens, et lectus, sanguine madent. Vultus demissus est, et cutis est pallida. Secundæ præcipitantur. Hoc temporis puncto, quantus est medici pavor? Quo celerius effluit sanguis eo citius miseræ deficit anima.

Volucri sagitta celerior manum obstetricus impellit in vulvam flaccidam ut excitet ejus contractiones, si sanguinis profluvium coerceat, et altera manu lodicem attollente, eheu! videt vitam morti cessisse!

In hoc exemplo et mater et infans pereunt! Aliquando evenit ut mater tuta relinquatur, et in aliis exemplis infans solummodo conservetur.

Partus præterea varius et complicatus esse potest, partibus insolitis fœtus venientibus ad os vulvæ; quæ convertendæ sunt ad positum magis commodum.

Si funis umbilicalis primus exit, manum imponere debemus in vulvam, ut retro repellatur, et "ad conquisitos pedes conversi infantis, adducendos*" in canalem in quo statu expelli licet.

Si uterus laceratus fuerit, qui casus raro incidit, et quem ego non adhuc vidi, docemur, pedes infantis per os uteri detrahere si possimus, et si non ad id valeamus propter pelvem angustiorem, necesse est, emittere infantem per abdomen sectum, aut potius (fœtu mortuo) opus naturæ committere, propterea quod, pleraque si non omnia exempla hujusmodi casus lethalia, brevi tempore, fuerunt.

Si defectio animi sit in graviditate, præcipere decet ea, quæ excitent et roborent. Sed si, defectio animi a sanguinis profluvio accedit, tum, perniciosior est. Cursus sanguinis illico coercendus est, pannis aqua frigida madefactis, abdomini et

---

* Cels.

naturalibus admovendis, medicamentis internis cum quiete simul jussis.

Si nervorum distentiones urgeant, quoquam graviditatis aut partus tempore, prorsus necessarium est sanguinem mittere, et purgantia et alia remedia idonea adhibere; etsi hæc parum prosint, mulieri, suppetias ferre oportet.

Debemus semper cavere ab nervorum contractionibus; namque illæ per apoplexiam aut humorum effusionem inter cranium et alias partes mortem intentant. Temperamentum corporis sanguineum in gravidis, præcipue pronum ad convulsiones videtur; hinc, in hujusmodi corporibus sanguinis missione aut saltem purgantibus lenioribus per totum gerendi uteri tempus admodum opus est. Purgantia quidem, inter graviditatem, nunquam prætermittere oportet.

DE RATIONE PARTURIENTES CURANDI.

Quum jam mulier enixa est, ea non movenda est unius horæ vel duarum spatio, ita, tamen ut in sicco lecto interea cubet. Postquam vestibus

nitidis amicta est, vestitum accipit infantem apud se, ut eum ubi opus est mammis admoveat.

Defectio animi prohibenda est, fasciam illigando commode circum abdomen et medicamentis idoneis adhibendis. Effusio sanguinis, si regrediatur, similibus modis (ut antea dictis), reprimenda.

Nullo tempore, nimium urinæ sinere debemus, in vesica colligi. Hujus organi functio diligenter observanda est. Si mulier eam non reddere possit, decet expromere per tubum Anglice "Catheter" dictum, sed si, per se possit, mandatis naturæ obsequi debet. Omnia fortuita, ut perinæum laceratum, sanguinis effusiones in labiis et aliis partibus curanda sunt, prout res sese habeant. Quoties, papillæ mammarum teneræ sint, omne irritamentum amovendum est; neque infans sugere sinendus, sed, interea, aliis modis nutriri oportet. Mammæ per artem ducendæ et lenia applicanda, donec bene valeant, ad avidum infantis tolerandum impetum.

Dolores, Anglice dicti "After-pains" (qui contractiones uteri sunt), si vehementes, levandi sunt Tincturæ Opii guttas triginta semel atque ite-

rum, si necesse sit, sumendo, et abdomine fovendo. Et vero, semper post partum, experientia non inutile esse docet, haustum dare et somnum et quietem conciliare.

De diebus secundis aut tertiis post puerperium, ventrem solicitare debemus purgantibus, ut, infuso sennæ, vel pilulis e jalapa aut extracto colocynthidis.

Diæta mulieris per paucos dies tenuis esse debet, et regimen quale mulceat, donec secunda valetudine fruatur.

Febris post partum multum timenda est, quod tam sæpissime interimit si sese ostendat sub formam "Puerperal fever" Anglice nominatam. Hæc febris, difficilis, si unquam (in dubio est) sanari possit, et similis plerisque inflammationibus velociter ægram conficere pergit. In morbi adventu, sanguinis plenior emissio tantummodo profecerit, conjuncta cum purgantibus, secundum Doctorem ARMSTRONG * et HEY † et alios.

---

* Vide Facts and Observations relative to Puerperal Fever, by J. ARMSTRONG.

† Vide HEY on Puerperal Fever.

Sed Professor HAMILTON*, in suis prælectionibus in Academia Edinburgena (si satis cerno), huic curationi valde adversatur.

Febres aut cæteri morbi qui partum sequuntur (hic non necessarii dictu), medenda sunt remediis ad singula accommodatis.

DE TRACTANDI INFANTES RATIONE.

Putamus operæ esse pretium, pauca loqui quæ ad infantes attinent, nam ex animalibus recens natis nulla tantopere per se opis indigent.

Si mortui nascuntur protinus eos e conspectu parentum tollere oportet. Sin tantummodo speciem mortis præbent, debemus (salute mulierum interea satis observata) conari eos resuscitare per intervalla, pulmones inflando, fricando membra, et ne frigescant, cavendo.

Infans simul ac natus est et e secundis disjunctus, vulgo circumtectus stragulo aut panno

---

* Audi ejus prælectiones.

laneo, donec parens in totum enisa est. Tum in aqua tepida lavatur, et vestibus tegitur. Membrorum articuli consperguntur pulvere aut simila ne atterantur. Funis quod reliquum est (antea secure ligatum ne sanguis efflueret) fere involutum est in sicco linteolo, quod nonnulli ustulant. Hæc pars funis tandem exulceratur et ad umbilicum decidit, abdomine postea, fascia cincto, ne procedat Exomphalos.

Nutricibus mos est in os infantis recens nati, sacchari, butyri, aut syrupi pauxillum infundere, ut meconii descensum expediat (quod hepate secernitur, secundum aut MAGENDIE *, ventriculo præbetur, ibi concoctionemque subit), in quo omnino errant. Natura enim nullo istiusmodi auxilio eget, cum colostrum seu primum lac matris, satis alvum laxet, et id efficiat quod optatur, sine ullo infantis periculo. Si colostrum parum valeat, lenia purgantia, ut mannam, oleum ricini, sennam, aut enemata, præcipere oportet.

* Vide Précis Element. de Physiologie, par F. MAGENDIE, tom. ii.

Nunc parenti infans detur, et fonte admoveatur lacteo.

Sed hoc tempore non licet longius de his rebus disserere, jam huic opusculo finem imponere festinandum est.

Res quidem abunde scribendo materiam suppeditat, sed occasio prohibet ne diutius morer.

Nihil enim est in tota natura quod magis mirum, quod, attentione cogitantis animi dignius est, quod denique magis providentiam benignam summamque NUMINIS sapientiam mortalibus commonstrat, quam animalium generatio.

Grandiora profecto, in rerum natura, siderum nempe motiones, actiones mechanicæ, chemicæque, quibus omnia in terra certo ordine reguntur, mentem animumque magis percutiunt. Sed hæc, utcunque nobilia, homines magis mirari faciunt, non quia majorem testantur sapientiam, sed quia magis sensibus obviam eunt.

In minimis, Natura innumera occlusit mirabilia. Ex his, multa, mens mortalium omnino comprehendere nequit. Cætera partim et ut magni laboris pretium, nobis, scire dedit. In

horum numero, est generatio. Quæ quidem, cum multis aliis corporis actionibus, in occulto transigitur, neque omni philosophorum studio facile in lucem proferenda est. Quo difficilius vero opus, eo præclarius. Et, quanquam non detur hanc rem ex omni parte, penitus cognoscere; sperare tamen licet, diligentia peritorum cognitionem corporis ejusque functionum, usque augente atque auctura, ut, certior saltem, generationis ratio, utiliorque, in Rebus Obstetricis, laborum, tandem prœmium afferatur.

FINIS.